PROPOSITIONES
THEOLOGICO-DOGMATICÆ

QUAS

Coram Illustrissimo ac Reverendissimo D. D.

FRIDERICO MARIA GIOVANELLIO

Venetiarum Patriarcha Dalmatiæque Primate

NEC NON

Coram Illust. atque Excell. Gymnasii Patavini

TRIUMVIRIS

PUBLICE PROPUGNANDAS EXHIBET

JO. DOMINICUS GIURIATO

Parochialis, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Bartholomæi Alumnus

Facta cuilibet Theologiæ Professori post Tertium contradicendi Facultate.

Non est bonum hominis hominem vincere; sed bonum est homini ut eum veritas vincat volentem, quia malum est homini ut eum veritas vincat invitum. Nam ut ipsa vincat necesse est sive negantem sive confitentem.

Aug. Epist. 238, alias 164, ad Pascentium.

Digitized by Google

PROPOSITIONES

EX TRACTATU DE LOCIS THEOLOGICIS.

I.

Theologus qui perfectus esse velit, *& potens exhortari in Doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere*, firmam probatamque habeat necesse est Sacrarum Scripturarum, Traditionum, & Ecclesiæ auctoritatem. In tribus igitur recensitis Theologicis locis immorabimur, de reliquis summa dumtaxat capita delibare contenti. De Divina Scriptura primum disputantes, quoniam ab hostibus Religionis potissimum exagitatur Pentateuchus, ejusdem authenticitatem, antiquitatem, veritatem, divinitatem ostendimus. Itaque Pentateuchus omnino genuinus est, auctorique Moysi tribuendus: antiquissimi pariter sunt Libri Moysis, quam qui maxime.

II.

Remotissimi item ab omni falsitate; consequenter merito dubitari non potest de Historiæ Mosai-

Digitized by Google

cæ veritate. At in tanta objectorum congerie, quæ adversus Pentateuchi veritatem urgent Deistæ, & Hæretici, quæque ab explanatoribus, & interpretibus optime refutantur, nos vindicias contrahimus tantum ad rerum creationem, ad earumdem interitum per universale diluvium, ad Legalia præcepta, & Legis Mosaicæ per Christum abrogationem, quasi Deus fuerit sibi repugnans.

III.

Inique Pentateuchum accusant Manichæi, quod vel silentio prætereat, vel obiter, & per transennam innuat æternum præmium in altera vita obtinendum ab homine, cum Legi servierit, vel pœnam violatoribus post mortem subeundam.

IV.

Abundat Pentateuchus admirabilibus, & certissimis Prophetiis eventu jam comprobatis; igitur omnino Divinus est.

V.

Illatio est legitima: acriter enim confutamus deliramentum Spinosæ, & Maupertuisii inæptiolas; summæ siquidem ignorantiæ est putare, vim pro-

pheticam in naturali facultate, aut in vi phantaſtica ſitam eſſe; aut ſtudio, & arte poſſe comparari; omnino vero puerile homini concedere facultatem prævidendi effectus contingentes, ſiquidem prævidet neceſſarios.

VI.

Argumentum ductum a Prophetiis, ut inquit Daniel Huetius, adverſus impiorum aſſultus eſt perfugium tutiſſimum, & veluti anchora ſacra; propterea firmiſſimum ad comprobandam etiam Librorum novi Fœderis divinitatem. Immenſa nihilominus rerum copia deterriti de hoc ex profeſſo non agimus, & ſolum pronunciamus, quod ſi Hebræi in ſuis Codicibus Veritatem, & Divinitatem vident, eam quoque in Matthæo & ceteris Evangeliſtis agnoſcere debent.

VII.

Ut ut divini ſint omnes, & ſinguli Scripturæ Libri; alii citius, alii ſerius in Canonem Eccleſiæ relati ſunt. Eadem tamen Proto-canonicis, & Deutero-canonicis fides debetur.

VIII.

De modo, quo Scriptura Sacra fuerit inſpirata diverſæ ſunt Theologorum opiniones. Ne de verbo magis, quam de re ipſa litigetur, nos, definitis revelationis, & inſpirationis vocabulis dicimus, revelationem ſtricte ſumptam auctoribus ſacris non ſemper fuiſſe neceſſariam, ut divina eſſet eorum in ſcribendo auctoritas.

IX.

Neque verba ſingula Spiritus Sanctus in mente, & ore Scriptoris poſuit: verba enim, & ſtylum non divinæ inſpirationi, ſed ſcribentis arbitrio in faciliotibus relinqui poſſe arbitramur, quamvis ab inſpirante Deo in rebus gravioris momenti ſit omnino verborum delectus.

X.

De Scripturæ Verſionibus agentes ſtatuimus, utriuſque Teſtamenti Latinam Verſionem, quæ *Vulgata* dicitur, authenticam eſſe; neque ideo Tridentina Synodus Vulgatam declarando authenticam, eam Hebraico, Græcoque textui anteposuit, ut calumniantur Hæretici; neque ab omni mendo immunem eſſe, & puram definivit.

XI.

Niſi oſtenderetur, Volumen, quod olim Divino beneficio datum eſt, integrum, & incorruptum ad nos perveniſſe; quorſum noſtri ſtudium, & labor? Reſtat ergo, ut de Sacrorum Librorum integritate dicamus. Itaque aſſerimus, a Captivitate Babylonica, ſive ab Eſdræ temporibus ad Apoſtolorum uſque ætatem neque temporum injuria, neque hominum malitia fuiſſe depravatos.

XII.

Incorruptos pariter, a Chriſti Jeſu, & Apoſtolorum prædicatione, uſque ad Hieronymum permanſiſſe, contendimus.

XIII.

Neque poſt Hieronymum mutatæ ſunt Scripturæ, ex quo a Maſoretis inventa ſint, & appoſita puncta vocalia.

XIV.

Critice, dum loquimur de Divinorum Codicum integritate, examinamus Juſtini querelam contra Triphonem, quod in Ps. XCV extarent illa ver-

Digitized by Google

ba: *Dicite in gentibus quia Dominus regnavit a ligno*, & abraſam eſſe a Judæis vocem *a ligno*, ne ex veteri Oraculo mors Chriſti Crucifixi oſtenderetur.

XV.

Fatemur jam cum Catholicis, Scripturam, utpote Verbum Dei, eſſe regulam & normam Fidei. At ipſa quoad legitimum ſui ſenſum non eſt ubique locorum ita aperta, & perſpicua, ut ſola per ſe ſufficiat ad Fidei quæſtiones dirimendas, ſed judice, ac interprete indiget.

XVI.

Proinde lectio Sacrarum Scripturarum in lingua vernacula, ſaltem ſi de omni collective Scriptura procedat aſſertio, non eſt omnibus neceſſaria, neque indiſcriminatim omnibus utilis; conſequenter merito a Clemente XI anathemate confixa eſt inter ceteras Prop. 81 Queſnelii: *Obſcuritas Sancta Verbi Dei non eſt Laicis ratio diſpenſandi ſeipſos ab ejus lectione*. Recte & lepide Baſilius cum Demoſthenem quemdam, qui apud Valentem Imperatorem coquorum Præfectum agebat, audiviſſet neſcio quem Scripturæ locum promentem, his ver-

Digitized by Google

bis reprehendit: *Tuum est de pulmentis judicare, non Divina Dogmata decoquere.*

XVII.

Ecquis ergo erit judex, & interpres Scripturæ? Dicam inferius. Hic solum sustineo, esse non posse Spiritum privatum Hæreticorum, seu privatis revelantem, quem detestamur, ut Spiritum non intelligentiæ, & veritatis, sed erroris, atque vertiginis.

XVIII.

Jam vero alter, quem proposuimus, ad se nos vocat Locus Theologicus, scilicet Traditio. Lutherani, Calvinistæ, & Sociniani acerrimum Traditionibus bellum indixerunt. Erasmus etiam cum sæpe alias, tum in Epistola nuncupatoria Operum Hilarii asserit, Eruditionis vere Theologicæ esse, nihil ultra, quam Sacris Libris proditum est, definire. Adversus hos omnes sustinemus, admittendas esse in Lege Evangelica Divinas, & Apostolicas Traditiones, tamquam infallibilem fidei, morumque Regulam; nec nobis quisquam exprobret vitiosum argumenti genus, quasi authenticitatem, & veritatem Scripturæ ex Traditionibus, Traditiones autem ex Scriptura probemus.

Digitized by Google

XIX.

Postremis his temporibus Basnagius, & Dalæus, ut videre est potissimum apud Natalem Alexandrum, nullum non moverunt lapidem ad elevandum robur Traditionum, sive Divinæ illæ sint, sive multo magis Apostolicæ. Quam infelix fuerit horum eruditorum conatus, intelligent facile ii, qui mecum ipsorum rationes paululum expendere velint.

XX.

Multa pertinent ad Christianorum Doctrinam, & fidem, que neque aperte, neque obscure in Sacris Litteris continentur; stultum esset proinde in omnibus Scripturam postulare. Constat propterea non modo de Existentia, verum etiam de Necessitate Apostolicæ Traditionis. Sunt viæ quatuor omnino apertæ, quas si sequamur in Traditionibus Apostolorum vestigandis, minime aberrabimus.

XXI.

At nonne Traditiones hauriuntur ex Scriptis, & Operibus Patrum, qui certe falli possunt? Bene quidem. Patres singuli falli possunt in rebus sive facti, sive juris; simul autem sumpti falli nequeunt

in rebus sive juris, sive facti dogmatici a jure indivulsi; esto errare possint in rebus meri facti cum jure inconnexi.

XXII.

Utræque Regulæ hucusque a nobis traditæ, & explicatæ, Scriptura videlicet, & Traditio, quamquam infallibiles, quoniam inanimatæ, mutæ sunt, & loqui non possunt; consequenter egemus regula animata, & viva, quæ & loqui & definire queat. Hæc autem est sola Ecclesia a Christo instituta, proindeque vere divina; illius siquidem auctor Christus Deus est, & missionem suam, doctrinamque stupendis miraculis confirmavit.

XXIII.

Nobilissimum hoc credibilitatis argumentum ventilantes contra Spinosam tuemur, Miraculum esse omnino possibile, & ne hæreamus in vocibus, nobis illa definitio arridet, quæ statuit: Miraculum esse *exceptionem legum naturalium, & eventum excedentem vim, atque ordinem totius creatæ naturæ.*

Digitized by Google

XXIV.

Quod si ita sit, Deus solus veri miraculi auctor esse potest; qui cum sit veracissimus, metuendum non est, ne vel ipse efficiat, vel permittat ab aliis fieri vera miracula in erroris attestationem.

XXV.

Cum igitur certum sit Christum re ipsa peregisse facta illa mirabilia, quæ de ipso narrantur, æque certum est illa vera fuisse miracula, & peracta ab ipso in suæ Doctrinæ confirmationem; hinc prudenter dubitari non potest de existentia, & veritate miraculorum Christi; igitur neque de veritate Ecclesiæ ab ipso institutæ.

XXVI.

Ne aliquid desideretur in tam gravi controversia, retundimus omnia illa captiosa argumenta, quæ recentissima hac ætate sive contra possibilitatem, sive contra credibilitatem miraculorum a Russojo, David Hume, aliisque & sophistice excogitata sunt, & scripta impudenter.

Digitized by Google

XXVII.

Vehementius debacchantur contra miraculum Resurrectionis Increduli, quod ineluctabile est Christianæ Religionis fundamentum; ideo ipsi omnem fidem detrahere perfidissime conantur. Nos ad severioris Critices Canones excutientes Resurrectionis Miraculum, factum istud omnino certum esse propugnamus.

XXVIII.

Verum cum omnes Sectæ Christiano nomine glorientur suaque jactitent miracula, quænam erunt legitimæ Notæ, quibus tamquam aurum lydio lapide vera Christi Ecclesia ab adulteris aliis secernatur? Etsi ultro demus veritatem Doctrinæ, legitimumque Sacramentorum usum esse prærogativas Ecclesiæ omnino necessarias; negamus tamen contra Heterodoxos numerari debere inter veras Ecclesiæ Notas.

XXIX.

Hoc designarunt Constantinopolitani Patres cum se credere *Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam* professi sunt. Sistimus in sola

Digitized by Google

Unitate. Vera Christi Ecclesia, extra quam salvus nemo esse potest, ita una est, ut excludat prorsus quascunque alias Societates, quorum fides discors sit in Articulis etiam non Fundamentalibus, quicquid, sequuti Petrum Jurium, dictitent recentiores Sectarii.

XXX.

Ad invidiam Romanæ Ecclesiæ conflandam calumniantur Calvinistæ Ecclesiam Romanam aliquid addidisse Apostolicæ Fidei; propterea non eandem Fidem profiteri, quam diu professa est Ecclesia. Respondemus, per suas definitiones Ecclesiam nec nova condidisse revelata, neque novos fecisse Articulos Fidei.

XXXI.

Si opus est Regula viva, & animata, & hanc invenimus in sola vera Ecclesia a Christo instituta, quæque consequenter Divina est; quis ambigat, ad eamdem spectare in caussis fidei morumque, & judicium ferre, & illud irreformabile, atque infallibile?

XXXII.

Novimus equidem gravem esse hostium Religionis expostulationem; nos infallibilem Ecclesiæ in

definiendo auctoritatem ex Scriptura probare, & vicissim germanam Scripturam, veramque illius intelligentiam ex Ecclesiæ auctoritate infallibili. Nodum hunc ceteroquin difficilem, neque satis accurate extricatum a quibusdam Theologis, qui assensum metaphysice certum cum moraliter certo confuderunt, nitide dissolvere confidimus.

XXXIII.

Ex quo solius Ecclesiæ sit judicare de legitimis Scripturis, aut de legitimo earumdem sensu, insipiens, malignusque sit oportet, qui inde inferat vel verbum Divinum intrinsecum robur, & firmitatem accipere ab Ecclesiæ testimonio, vel auctoritatem minorem agere, jusque dicere in auctoritatem majorem.

XXXIV.

Viam monstrante Cl. Bossuetio repellimus quæcumque objecta a Protestantibus afferuntur contra celebre illud, & decretorium testimonium pro infallibilitate Ecclesiæ, quod ultimo Matthæi legimus: *Docete omnes gentes &c.* Et: *Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

Digitized by Google

288

XXXV.

Præjacta Eccleſiæ infallibilitate, quis non videat, Concilium legitimum, & vere Œcumenicum in definitionibus fidei, & morum errare non poſſe? Lutherani novum Concilium volunt omnibus retro ſæculis inauditum, ubi de fidei quæſtionibus judicent non Epiſcopi, ſed Rethores, & Laicorum turba. Profligamus hujuſmodi errorem, & ſancimus, auctoritatem Eccleſiæ formaliter reſidere non in populo, qui Paſtores audire tenetur, ſed in Epiſcopis, *quos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei*. Jus propterea ſuffragii deciſivi Ordinarii competit ſolum Prælatis majoribus, & Epiſcopis juxta ſententiam Catholicorum.

XXXVI.

Omnium maxima objectio contra inerrantiam Conciliorum ducitur ex Concilio Ariminenſi, quod formulæ ab Arrianis oblatæ ſubſcripſit, in qua ſupprimebatur vox *Omouſion*, tamquam fidei teſſera. Inter cetera hoc Concilium perpendimus, & reſpondemus primo: poſſe negari, Synodum illam fuiſſe perfecte Œcumenicam, & vere Legitimam; ſecundo: Patres Ariminenſes licet formulæ hæreti-

cam pravitatem redolenti subscripserint; vere & ex animo in hæresim lapsos non fuisse.

XXXVII.

Ecclesia Christi alia non est uno in loco congregata, alia dispersa; neque Christus pollicitus est adsistentiam suam consociationi corporum, sed animorum. Præclare Augustinus lib. 2 contra Julianum appellantem ad Concilium: *Hos itaque de aliis atque aliis temporibus, atque regionibus ab Oriente, & Occidente congregatos vides non in locum, quo navigare cogantur homines, sed in librum, qui navigare possit ad homines.... quasi nulla hæresis aliquando, nisi Synodi congregatione damnata sit.* Nulla idcirco absoluta necessitas Conciliorum.

XXXVIII.

Hinc Concilium virtuale, seu consensus Episcoporum dispersarumque Ecclesiarum Romano Pontifici adhærentium in re dogmatica, vel ad mores pertinente, sive expressus sit, sive tacitus, est omnino infallibilis regula fidei.

XXXIX.

Intolleranda est consequenter superbia, & pervicacia appellantium ad futurum Concilium. Hanc

suggillat acriter Aug. lib. 4 ad Bonifacium capite ultimo: *Hæreticorum ſuperbia, quæ tantum ſe extollit adverſus Deum.... hanc etiam captare gloriam intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur, ideſt totus orbis ob unius homunculi errorem, aut ambitionem commoveatur.* Hinc Auguſtinus neque in Libro de Baptiſmo, neque alibi unquam putavit aut neceſſaria eſſe abſolute plenaria Concilia, aut plenaria priora poſſe in rebus fidei, & morum a poſterioribus emendari.

X L.

Janſeniani noſtrorum temporum, ut dogmatibus ſuis cenſoria nota inuſtis patrocinium quærant, non modo ad futurum Concilium provocant; ſed inſuper omnimodam ſuffragiorum unanimitatem, & perfectiſſimam Eccleſiarum omnium conſenſionem requirunt. Iniquitatem harum conditionum clare aperimus oſtendentes non requiri conſenſionem Mathematicam, aut Phyſicam, ſed Moralem ſufficere.

X L I.

Quæſtio exiſtit, an Pontifex Concilii Caput vel per ſe, vel per ſuos Legatos in ferenda ſententia majorem judicum partem ſequi, eorumque doctri-

nam approbare teneatur. Adhibita opportuna distinctione quæstionem, ut par est, enodabimus.

XLII.

Ex disputatis de Unitate, & de Infallibilitate Ecclesiæ palam est nos in ea esse sententia, quod Romanus Pontifex habeat Primatum in universam Ecclesiam non modo Ordinis, & Honoris, sed Jurisdictionis, & Potestatis. Quod in antecessum supposuimus, hic ex professo probamus. Romani Pontificis Primatus in Primatu D. Petri supra ceteros Apostolos fundatur. Petrus autem a Christo supra ceteros Apostolos habuit Primatum auctoritatis in universam Ecclesiam. Petra siquidem, de qua Matth. XVI, supra quam ædificata est Ecclesia, est D. Petrus, & proinde Petrus est Fundamentum, & Caput Ecclesiæ.

XLIII.

Eidem Petro vere, & principaliter traditæ sunt a Christo Claves: ideoque ipse supremam potestatem accepit in universam Ecclesiam.

XLIV.

Denique, cum Jo. XXI soli Petro dicatur: *Pasce agnos meos, pasce oves meas*; eidem, ut Sum-

mo omnium Pastori, cura a Christo Domino commissa fuit Ecclesiæ Universalis.

XLV.

Primatus Petri jure divino ad Successores transiit. Hæc assertio est certa certitudine Fidei. Porro ex Traditione, unanimi Conciliorum, & Patrum sententia declarata, Successor Petri est Romanus Pontifex.

XLVI.

Succedit quidem Petro Romanus Episcopus; non tamen ex primaria institutione Primatus, quæ exprimatur in Evangelio; propterea hæc successio vel pendet a facto Petri, qui sedem Romæ fixit, & usque ad mortem tenuit, vel si Petrum e vivis Romanum Episcopum excessisse negatur, (quod hic agitare non vacat) ex Ecclesiæ institutione. At si factum Petri, vel institutio Ecclesiæ a peculiari dispensatione ex Christi præcepto pendeat; adhuc non immediate, & stricte; sed tamen mediate & cum aliqua veritate dici poterit, conjunctionem Primatus cum Sede Romana esse de jure Divino.

Digitized by Google

XLVII.

Theologorum dissidia jamdudum celeberrimam reddidere quæstionem de Infallibilitate Romani Pontificis in caussis Fidei extra Concilium & ante Ecclesiæ dispersæ acceptationem. Nos quæstionem ita resolvimus. Sententiam, quæ Romano Pontifici in caussis Fidei, & Morum tribuit infallibilitatem, verissimam & in Scripturis & Patribus fundatissimam putamus; & hinc tutissimam ad pacandas privatim Fidelium mentes. At nullius momenti esse, & inutiliter agitari, si de controversiis publice definiendis, & authentice terminandis agatur. Etenim cum eruditissimo Cardinali Orsio Pontificiæ Infallibilitatis acerrimo contra Bossuetium defensore dicimus, non probabiliter, sed certo constare debere esse Petri Successores ad Fidei controversias dirimendas per se infallibiles, ut eorum decreta veluti Spiritus Sancti oracula, & tamquam certas Fidei Catholicæ regulas excipiamus. Hoc vero certo nobis constare non potest.

Digitized by Google

PROPOSITIONES

EX TRACTATU DE DEO UNO, EJUSQUE DIVINIS ATTRIBUTIS.

XLVIII.

Dei existentiam demonstrandam suscipimus, ut absurda Atheistarum, si qui sunt, opinio radicitus convellatur. Vocabulo autem *Demonſtrationis* non intelligimus rigidam illam, quam Mathematicam, seu Metaphysicam vocant; sed eam tot innixam rationibus, & suffultam argumentis, cui intellectus non omnino pervicax resistere nequeat. Ut præcidantur lites, & ne detur ansa cavillationibus, omissis demonstrationibus a quasi priori, contenti erimus eo genere demonstrationis, quod dicunt a posteriori, petito nempe ex rerum adspectabilium motu, serie, & ordinata compagine.

XLIX.

Sed quia mundus hic spectari potest, & ut coalescens ex serie quadam finita, & veluti series quædam æterna & infinita caussarum, & effectuum; idcirco affirmamus primo: Supposita serie

Digitized by Google

infinita caussarum & effectuum validissime adversus Atheos comprobari existentiam Dei saltem sub conceptu generico *Entis a se.*

L.

Affirmamus secundo, quod series æterna & infinita caussarum, & effectuum vel omnino repugnat; vel nisi repugnet, non aliter est possibilis, quam dependenter a caussa necessaria, seu *Ente a se.*

LI.

Obsoletam, & in tenebris, ac squallore jacentem Epicureorum, seu Materialistarum sententiam excitare per summum scelus aggressi sunt aliqui recentiores, contra quos sustinemus; nonnisi dementissimi, aut impudentissimi hominis esse posse judicium, aut conjecturam, quod hæc mundanarum rerum congeries emerserit, aut probabili ratione potuerit emergere ex fortuita athomorum concursatione.

LII.

Huic veritati *Existit Deus* fulgidissimam lucem affert consensus omnium moraliter hominum in

Digitized by Google

agnoscendo aliquo Numine. *Nulla enim gens est tam immansueta*, ut eloquar cum Tullio, *nemo hominum tam immanis, qui etiamsi qualem habere Deum deceat ignoret; habendum tamen esse non sciat.... Consensio autem omnium gentium lex naturæ putanda est.*

LIII.

Contra Belium, & alios irreligiosos homines evincimus hunc consensum moraliter universalem omnino connexum esse cum vera & reali Dei existentia; incassum enim laborant adversarii nostri, dum alias caussas, sive extrinsecas homini, sive intrinsecas præfati consensus fingunt, & comminiscuntur.

LIV.

Norunt omnes Tertulliani adagium lib. I contra Marcionem: *Deus, si unus non est, non est.* Quapropter contra Hæreticos tum ab auctoritate, tum complexione plurium argumentorum a ratione vindicamus Dei Unitatem.

LV.

Absurdissime Manes duo rerum prima Principia, sed duos Deos admisit ingenitos, sempiter-

Digitized by Google

nos, alterum alteri oppoſitum, & alterum quidem bonum rerum inviſibilium auctorem, alterum malum rerum ſenſibilium cauſſam.

LVI.

Quantum facile eſt, & obvium noſſe quod ſit Deus; tantum difficile eſt dicere quid ſit. Ne videamur intactam omnino relinquere controverſiam inter Theologos Scholaſticos celeberrimam, nobis probabiliter videtur, Characterem proprium Divinæ Eſſentiæ, ſeu gradum ejuſdem conſtitutivum poni debere in Aſſeitate.

LVII.

Inveſtigata Dei Exiſtentia, & Natura, ejus proprietates, quæ uſitato vocabulo *Attributa* appellantur, ſeſe offerunt examinandæ; & primo cum Deus ſit *Ens a ſe*, proindeque *neceſſarium*; naturalis ratio docet eſſe debere Ens perfectiſſimum, quo nihil melius poſſit cogitari. Ergo habet formaliter omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices, ut vocantur a Theologis poſt Sanctum Anſelmum Menologii Cap. XV. Habet etiam formaliter perfectiones ſimplices, in quibus nihil imperfecti deprehenditur; habet denique virtualiter, vel emi-

Digitized by Google

nenter perfectiones simplices quibus adjungitur aliquis defectus.

LVIII.

Singillatim vero disputantes de Divinis Attributis ordimur a Simplicitate, de qua præter Gentiles, & plures Hæreticos haud recte sensere IV Ecclesiæ sæculo Ægyptii Monachi, qui turmatim in eum prolapsi sunt errorem, quod Deus sit *Antropomorphos*, formæ scilicet humanæ, & corporeæ Clamant Scripturæ, Traditio, & Ratio ipsa, a Deo exulare omnem realem compositionem.

LIX.

Cum tamen Deus in se Simplicissimus contineat perfectiones in creaturis realiter distinctas; & varios, immo oppositos producat effectus; cum fundamento agnosci, & admitti debet illa distinctio in Deo, quæ dialectica nuncupatur *rationis ratiocinatæ*.

LX.

Propiorem fuisse Antropomorphitarum errori Tertullianum opinatur Laurentius Berti Lib. II de Theologicis Disciplinis cum aliis Theologis. Nos

Digitized by Google

tamen non patimur eripi Catholicæ cauſsæ ingenioſum hunc Africanum; ideo cum Natali Alexandro, & Honorato Tournely quamquam fateamur dura & incompoſita loquendi ratione uſum fuiſse, eum vindicamus ab errore Antropomorphitarum.

LXI.

Comes eſt Simplicitatis Infinitas; quoniam re ſimpliciſſima non poſſumus cogitare majorem. Ergo ab uno ad alterum progredientes Attributum, oſtendimus eſſe Deum ſecundum eſſentiam ſuam Infinitum.

LXII.

Immutabilitas recte definitur: *Perpetua rei permanentia, in qua neque ſubſtantiæ, neque accidentium intercidit viciſſitudo*. Ex ipſa propterea ſumma Dei perfectione, & ejus jam comprobata Simplicitate fluit neceſsario Immutabilitas, quam non deſtruit contingentia & libertas actuum divinorum.

LXIII.

Tamquam omnino hæreticam ſacræ auctoritatis telo confodimus Socinianorum, & Vorſtii Calviniſtæ opinionem, qui admittunt quidem præſentiam Dei in rebus quoad virtutem, & operationem,

sed negant quoad essentiam. Deus enim est Immensum, rebusque omnibus præsens intime adest non tantum cognitione, & operatione, sed essentia; immo substantialis Dei in rebus præsentia efficaciter probatur ex ipsius operatione.

LXIV.

Deus, inquiebat Gregorius Nazianzenus, semper est, nam *erat* & *erit* hujus temporis fluxæ, caducæque naturæ segmenta sunt; consequenter Deus est Æternus, & quidem solus, ejusque æternitas nulli subjacet temporis successioni, aut differentiæ.

LXV.

Plura inquirendi exhibetur nobis occasio, dum agimus de Dei Invisibilitate; Deus nequit ab aliquo intellectu creato solo naturali lumine intuitive videri; potest tamen intellectus creatus superno lumine circumfusus intueri Deum, ut est in se, immo Beati in cœlo intuitiva visione Dei donantur.

LXVI.

Præluserunt ne errori Palamitarum Chrysostomus, & Theodoretus? neuter merito potest erroris accusari.

Digitized by Google

LXVII.

Quantumvis uberrimo supernaturali lumine intellectus creatus roboretur; & elevetur; Deum videns non potest illum comprehendere, si genuinam comprehensionis ideam efformemus.

LXVIII.

Mirantur quidam, dubium, ancipitemque hæsisse Augustinum, an corporeis oculis possit Deus videri. Verum ii desinent mirari, si animadverterint, Augustinum semper asseruisse, Deum invisibilem esse corporeis oculis, & solum prudentissime noluisse definire, an post Resurrectionem, si forte oculi, alterius futuri sint ab istis naturæ & spiritales effecti, poterint pertingere ad videndum immediate Deum.

LXIX.

Patrum, & Theologorum momentis libratis, num Moyses & Paulus adhuc viatores Deum viderint, res ambigua videtur, & quæ in utramque partem possit disputari. Sed nos quoniam versamur in quæstione facti, cujus satis aperta non sunt Scripturarum testimonia, nec constans Patrum traditio, proni sumus in sententiam negantem.

LXX.

Jovinianus quemadmodum nulla in meritis discrepantiam; ita nullam in præmio agnovit inæqualitatem. Contra perversum istud dogma costituimus, inæqualem gloriam meritis inæqualibus reservari. Quod si quis sciscitetur caussam inæqualitatis Beatitudinis, reponimus caussam Moralem esse meritum; Effectricem autem, & Physicam esse lumen gloriæ, quod pro meritorum ratione magis, minusve affulget menti Beatorum, éamque illuminat.

LXXI.

Animabus omni labe purgatis non differtur visio intuitiva Dei ad ultimum judicii diem; sed, si nihil ipsis luendum supersit, statim ac corpore sunt solutæ, eadem visione fruuntur; unde concidit turpissima Cerinthianorum, & absurda aliorum Millenariorum opinio.

LXXII.

Amplissimam jam juvat instituere de Dei Providentia disquisitionem. In primis universaliter dicimus, Deum omnibus, & singulis providere,

ne exceptis quidem iis quæ minima ab homine, atque abjectiſſima reputantur.

LXXIII.

Ut ſecurior, expeditiorque via pateat ad refutandos improbiſſimos Providentiæ oſores, judicamus neceſſarium non modo Theologice, ſed etiam Philoſophice naturam mali diligentius inveſtigare. Facem præferentibus Eccleſiæ Patribus, pronunciamus, malum non eſſe aliquid poſitivum, ſeu aliquam poſitivam ſubſtantiam, & ens; verum conſiſtere dumtaxat in privatione perfectionis.

LXXIV.

Conſtituto hoc principio, præjudiciis ſeclusis, examinamus querelas graviſſimas tam veterum quam recentiorum Deiſtarum ex colluvione malorum, quibus mundus ſcatet: quæ mala flebili ſtylo deſcribit, atque in immenſum in ſuo Dictionario exaggerat Petrus Belius; contra quem potiſſimum propugnamus, nonniſi temere & inſipienter poſſe ex malis Phyſicis hujus univerſi accuſari ſupremum Artificem, & mundani hujus ſyſtematis conditorem.

LXXV.

Ex quo mundum malo morali infectum videamus, & doleamus, acrius furunt Deistæ contra Dei Providentiam; neque enim aut valent, aut volunt intelligere, quomodo cum permissione mali moralis componi possit Dei Providentia & Sanctitas. Nos autem neutrum attributum violari a permissione mali moralis confidenter asserimus, atque captiosas illas argutiolas, & putida sophismata, quibus nos illaqueare conatur Belius cum ceteris incredulis, rationibus ex ipsa rerum natura deductis, & retundimus, & penitus dissipamus.

LXXVI.

Quod si blasphemi homines non vereantur nos provocare ad revelationem, & superbissime contra Providentiam opponere historiam Peccati Originalis, & alia Divini judicii, & justitiæ imperscrutabilia Mysteria, quæ credimus fide Divina, sinent nos pariter eidem argumento extrinseco insistentes confugere ad sacram auctoritatem, tamquam ad portum tutissimum, & inde respondendi copiam desumere.

PROPOSITIONES

EX TRACTATU MYSTERII SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

LXXVII.

Existentiæ tanti Mysterii duo veluti ex adverso acerrimum bellum intentant agmina hostium: alterum Unitariorum, qui negant Divinarum Personarum pluralitatem, alterum Tritheitarum, earum communionem, seu identitatem naturæ negantium, quam Græci *Thautosiam* vocant. Contra utrumque Hæreticorum genus probamus Tres esse in Deo Personas realiter distinctas cum unica Natura, idque constat primo ex iis locis, in quibus Deus de se ipso plurali numero loquitur; pariter ex iis, in quibus Dei nomen in eadem sententia repetitur.

LXXVIII.

Hinc perperam a Socinianis traducitur hoc Mysterium tamquam novum, & ante Christum plane ignotum, quasi in toto veteri Testamento altum de eo silentium habeatur. Quod si Tertullianus

Digitized by Google

contra Praxeam cap. 31 ait: *Trinitatiſ Fidem propriam eſſe Novi Teſtamenti*, hoc non est intelligendum exclusive; sed quia vulgo Judæorum non fuit manifestatum; quam occultationem ob causas sapientissimas factam fuisse declaramus.

LXXIX.

Longe tamen apertius Mysterium Trinitatis in Novo Testamento proponitur. Primum argumentum desumimus ex forma Baptismi a Christo instituti: *Docete omneſ Genteſ, baptizanteſ eoſ in nomine Patriſ &c.* (Matth. XXVIII) ubi tres distinguuntur Personæ, & unum nomen in singulari; seu una omnium auctoritas, & operatio designatur, quidquid contra obgarriant Sociniani.

LXXX.

Alterum, & quidem splendidissimum eruimus ex vers. 7, Epist. I Johan. Cap. V: *Treſ ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctuſ, & hi treſ unum ſunt.* Quid illustrius ad exhibendum Trinitatis Mysterium?

LXXXI.

Hoc testimonium vero non esse autographum, sed supposititium jam pridem Catholicis exprobrarunt

Digitized by Google

Sociniani, suffragantibus Joanne Clerico, Erasmo, & Riccardo Simonio in Historia Critica Novi Testamenti. Nos primo fidem & auctoritatem Textus contra temerarios ausus intemperantioris Criticæ vindicamus. Secundo dicimus, neminem, qui æquus esse velit, inficiari posse, sensum testimonii apprime cum Catholico Dogmate cohærere, sive per se spectetur, sive etiam coassumatur cum versiculo 8: *Tres sunt qui testimonium dant in terra: Spiritus, Aqua, & Sanguis, & hi tres unum sunt.*

LXXXII.

Fundamentale istud Dogma adumbratum in Veteri, manifestiusque declaratum in Novo Testamento, fulcitur etiam Traditione Patrum non modo posteriorum, quod non audent negare Novatores, sed etiam eorum, qui primis Ecclesiæ sæculis floruerunt. Falso autem a Socinianis supponitur, Gentiles non objecisse Christianis doctrinam Trinitatis; immo ex ipsa Gentilium accusatione, demonstramus, viguisse apud Patres Antenicænos fidem Trium Personarum Divinarum in unitate ejusdem Substantiæ.

LXXXIII.

Congredimur propius cum Tritheitis, & decernimus unam esse Dei Naturam non unitate logica;

& specifica, quemadmodum eamdem dicimus esse naturam hominum; quod sæculo XII videtur sensisse Abbas Joachim; sed Unitate Reali & Numerica.

LXXXIV.

Quoniam ætate nostra prodiit Libellus cui titulus, *Alteratio Dogmatis Theologici de Trinitate*, in quo auctor contendit tres Deos sine repugnantia dici posse; nos sustinemus, hujusmodi modum dicendi non solum prudentis œconomiæ causa prohibitum esse, sed etiam intrinsecum vitium continere, neque ullo pacto in Patrum doctrina fundari.

LXXXV.

Jam Sociniani, & præsertim Crellius, & Wolzogenius ad naturale lumen nos provocant. Horum argumenta nonnisi squallentia sophismata sunt ex antiquiorum Hæresum colluvione collecta, quæ passim profligata leguntur in Operibus Patrum.

LXXXVI.

Ultro tamen damus, immo asserimus contra Claudianum Mammertum, naturali ratione augustissimum hoc Mysterium positive probari, vel cognosci non posse. Longe idcirco circa

finem sæculi XIII, a veritate peregrinatus est Raymundus Lullus dialecticis acuminibus imprudentius abutens: nihilominus probari potest negative hoc Mysterium, supposita ex Fide ejus Revelatione, quatenus demonstrari nequit, ut jactant Sociniani, manifesta ejus repugnantia.

LXXXVII.

Progredimur modo ad Verbi Divinitatem, & ex veteri Testamento evinci ostendimus, Verbum esse verum Deum, Æternoque Patri Consubstantialem.

LXXXVIII.

Eadem Verbi Divinitas probatur ex Novo Testamento. Præcipuum autem sibi locum vindicat initium Evangelii S. Joannis, in quo tam clare Evangelista testatur, Christum Dominum, antequam caro fieret, fuisse verum cum Patre Deum, & ab æterno verum Dei Verbum; ut mirum videri debeat tam præpostere ea omnia, quæ ibi leguntur, a Lælio Socino, aliisque ejusdem furfuris hominibus depravari potuisse.

Digitized by Google

310

LXXXIX.

Divinitatis Christi Dogma Veteris Ecclesiæ Traditione firmatur. Cum autem non desint inter Catholicos, & quidem magni nominis Doctores, ut Huetius, & Petavius, qui minus recte Antenicænos Patres sensisse de hoc Mysterio arbitrantur, antequam ablatrarent Arriani; dicimus propterea cum S. Hieronymo, Apol. 2 contra Ruffinum, *Illos quidem minus caute; innocenter tamen saltem plerosque loquutos esse.*

XC.

Hinc adversus Joannem Clericum conamur ab omni Arrianismi suspicione liberare Justinum Martyrem, Clementem Alexandrinum, & potissimum Tertullianum, qui etiam quibusdam Catholicis non leviter suspectus est.

XCI.

Consequenter cum Verbum Divinum vere Deus sit, ut omnem elabendi viam Arrianis præcluderent Nicæni Patres sapientissime Symbolo addendam decreverunt vocem *Omousion*, quæ subesse non posset fraudulentis Arrianorum interpretationibus.

XCII.

Sicuti contra Arrianos Divinitatem Verbi, ita contra Pneumatomachos Divinitatem Spiritus Sancti profitemur, & propugnamus; Spiritus Sanctus enim & vera Persona est, & vera Persona Divina Patri consubstantialis.

XCIII.

Tamquam Fidei articulum contra Latinos, immo contra universalem Catholicam Ecclesiam Græci statuunt, Spiritum Sanctum non a Filio, sed a solo Patre procedere. Hæc fuit Græcorum Schismatis origo præcipua. De Fide igitur esse probamus, Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere.

XCIV.

Ut itaque hæc tam impia hæresis penitus convelleretur, jure, ac legitime Symbolo addita est Particula *Filioque*.

XCV.

De principiis, & proprietatibus Divinarum Processionum disputantes tria constituimus: primo, Principium formale proximum Divinarum Pro-

Digitized by Google

cessionum est Intellectus & Voluntas notionalis, relatione se habente tamquam conditione necessaria, non vero Natura, & Relatio secundum se accepta.

XCVI.

Secundo, si qua possit ratio afferri, cur sola Processio Secundæ Personæ vera sit generatio, nulla congruentior afferri posse videtur, quam quod sola Secunda Persona ex vi Processionis per intellectum formaliter sit Verbum Patris, ac ejus perfecta, & substantialis imago.

XCVII.

Tertio, Processio unius Personæ est tota radix, & ratio distinctionis eorum; unde si Spiritus Sanctus non procederet etiam a Filio, ab eo realiter non distingueretur.

Digitized by Google

PROPOSITIONES

DE INCARNATIONE DIVINI VERBI.

XCVIII.

De Incarnationis necessitate in primis agentes, præmissa multiplici tanti Mysterii appellatione, expendimus plures hypotheses, in quibus docent nonnulli necessariam fuisse Incarnationem. Hujus necessitatem nos affirmamus dumtaxat in suppositione, quod Deus noluerit homines a peccato redimere, nisi sibi exhibita condigna satisfactione. Nulla siquidem pura Creatura, etsi eximiis supernæ gratiæ donis cumulatissime instructa, potest de condigno satisfacere pro gravi offensa Dei.

XCIX.

An satisfecit Christus? negant impiissime non modo Gentiles & Judæi, sed etiam bene multi Hæretici, & potissimum Sociniani. „ Ego (inquiebat Faustus Socinus) Jesum Christum dico ideo „ Servatorem nostrum esse, quia salutis æternæ „ viam nobis annuntiavit, & in sua persona cum „ vitæ exemplo, tum ex mortuis resurgendo ma-

Digitized by Google

214

„ nifeste ostendit; Divinæ autem Justitiæ per quam „ damnari meremur, neque illum satisfecisse, ne-„ que ut satisfieret opus fuisse affirmo." Verum Sacræ Litteræ commemorant, *nos justificatos esse gratis per Redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per Fidem in sanguine ipsius ad ostensionem Justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum*. (Ad Rom. c. 3.) Et scimus, *non corruptibilibus auro vel argento redemptos esse, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi*. (S. Petrus Epist. 1.)

C.

Immo satisfactio Christi fuit exacta ad omnem rigorem justitiæ.

CI.

Sicuti satisfactio puri hominis infinite deficit; ita satisfactio hominis Dei infinite excedit gravitatem culparum nostrarum. Merita proinde Christi Domini, ejusque satisfactiones sunt valoris non modo sufficientis, sed superabundantis, & simpliciter infiniti.

Digitized by Google

CII.

Quamquam vero pretium a Christo persolutum sit superabundans, nedum exæquans debitum; tamen nihil inde detrahitur gratuitæ, & immensæ Dei Misericordiæ elucenti in reconciliatione humani generis. Ex plenitudine satisfactionis Christi inferunt Calvinistæ superfluitatem nostræ satisfactionis. Ex opposito Sociniani quandoquidem necessaria sit nostra satisfactio, negant Christi satisfactionem. Utrorumque illatio perversa prorsus est & impia.

CIII.

Ad Incarnationis existentiam progredimur. Ex Oraculis Aggæi Cap. I, & Malachiæ Cap. III, constat evidenter jam venisse Messiam.

CIV.

Vaticinium pariter, quod legitur Danielis Cap. IX, de septuaginta Hebdomadibus abbreviatis, Judæorum, adhuc Messiam præstolantium, & stultitiam arguit, & perfidiam confundit.

Digitized by Google

CV.

Quærenti, unde ducendum sit hebdomadarum exordium, quoniam aliæ sententiæ inextricabilibus premuntur difficultatibus, respondebimus, non certam, at verosimiliorem nobis videri opinionem eorum, qui repetunt initium hebdomadarum ab Anno XX Artaxersis Longimani filii Xersis. Hæc, ne videamur omnino peregrini in Chronotaxi Regum Persidis. Ceterum non possumus iis assentiri, qui quæstionem Chronologiæ connexam putant cum quæstione de Religione, quasi Oraculum Divinum, non aliam obtineat vim adversus Judæos, nisi quam mutuatur a supputationibus Chronologorum.

CVI.

At omnium splendidissimum pro adventu Messiæ est Oraculum editum a moribundo Jacobo Gen. XLIX. Dignum propterea, quod a nobis evolvatur amplissime. Nomen Judæ in Jacobi Oraculo non designat universam gentem Judæorum, sed debet contrahi ad singularem tribum ejusdem nominis; nomine vero Sceptri, & Ducis in eodem Oraculo non exprimitur necessario regia, & mo-

Digitized by Google

narchica dignitas, sed potestas civilis & politica Jurisdictio.

CVII.

Verba illa Oraculi: ***Donec veniat, qui mittendus est, vel usquequo veniat Scyloh***, necessario intelligi debent de Messia. Hic confutamus non modo Hebræos, sed etiam doctissimum inter Protestantes Joannem Clericum Tom. I Commentariorum in Sacram Scripturam.

CVIII.

Quæ cum ita sint, ecce tibi, optima fundatissima & necessaria Oraculi interpretatio: Jacobus pollicetur non recessurum de Tribu Juda proprium Regimen politicum, seu non ablatam iri civilem jurisdictionem ejusdem Tribus, donec venerit Messias. Viguit porro tempore a Jacobo indicato hujusmodi politica jurisdictio in Tribu Juda, & perduravit usque ad Messiam. Inde demonstratur efficacissime contra Judæos, jamdiu advenisse Messiam.

CIX.

Alii pariter caracteres, & signa, quibus Prophetæ Messiam exprimunt, & pingunt, confirmant

illius adventum. Inter cetera celebre est Nabucodonosor Regis somnium Dan. c. 2, illudque Micheæ c. 5: *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus in millibus Juda &c.*

CX.

Non modo tempus a Prophetis designatum, sed aliæ quoque Notæ, quibus Sacri Vates personam Messiæ describunt, nullum relinquunt dubitandi locum, Jesum Nazarenum Mariæ Filium esse Messiam in Lege promissum.

CXI.

Præcipua Messiæ Nota est, quod nasciturus sit ex Tribu Juda, & de sanguine David. At quamquam hic gravissima occurrat difficultas, cum Maria Luc. I dicatur cognata Elisabeth, quæ erat de filiabus Aaron; non tamen diffidimus, hanc sanguinis & stripis prærogativam in Mariæ Filio invenire.

CXII.

Debebat pariter juxta Propheticum Isaiæ Oraculum c. VII, male a Judæis intellectum Messias concipi, & nasci de Virgine; porro Christus absque carnali opere conceptus est.

Digitized by Google

CXIII.

Quæ sacrilego ore evomit Elvidius ad denegandam perpetuam Intemeratæ Virginis integritatem, præeunte magno Hieronymo, refutamus. Sententiam de perpetua Mariæ Virginitate ad fidem omnino pertinere nobis est persuasum. Neque contrarium docuit Basilius Hom. 25 *de Nativitate*.

CXIV.

Honorificentissimum de Christo Testimonium perhibuit Flavius Josephus Lib. 18 de Judæorum Archeologia. Hujus Testimonii Autographiam contra quosdam intemperantiores Criticos comprobamus.

CXV.

Christus veri Messiæ caracteribus insignitus genus humanum peccato perditum non reparasset, nisi esset Deus. Quare ea est natura Incarnationis, ut Verbum Divinum substantialiter, & hypostatice naturam humanam sibi conjunxerit in unitatem Personæ & propterea Christus non tantum moraliter & per attributionem, sed vere substantive & hypostatice Deus sit. Execramur conse-

Digitized by Google

quenter unionem illam moralem, & accidentalem, quam hæretice conatus est adstruere, multisque modis explicare Nestorius.

CXVI.

Celebre Testimonium Jo. Chrys. Hom. 2, c. 1, Epist. ad Hebræos super illa verba prophetica, *Propterea unxit te Deus Deus tuus*, desperatam Nestorianorum caussam nihil juvat, & optimam habet juxta Catholicum Dogma explicationem.

CXVII.

Unio Hypostatica Divini Verbi cum humanitate nullam habet veram repugnantiam; quæ assertio non modo impetit Nestorianos, sed etiam Gentiles, Judæos, & in primis Socinianos, qui congestis sophismatibus Mysteriorum omnium fidem pervertunt. Monemus tamen nos non intendere solo rationis lumine Mysterii hujus possibilitatem confirmare, cum illud vocet Apostolus *Sacramentum a sæculis absconditum*: sed solum negative prælucente Fidei notitia. Supposita enim ipsius revelatione, de consequenti, sed necessario sequitur illius possibilitas, quia, ut dixit Mariæ Gabriel: *Non erit impossibile apud Deum omne Verbum*.

Digitized by Google

CXVIII.

At quomodo facta est in Chriſto Naturarum adunatio? Num Unio Hypoſtatica in Chriſto abſtulit diſtinctionem, & diſcrimen duarum Naturarum? Hoc quidem docuerunt Monophyſitæ, cujus erroris poſt Apollinarium propagator fuit Eutyches ſenex, indoctus, & imperitus, ut eum appellat S. Leo in Epiſt. ad Pulcheriam. Sed Chriſtus juxta Fidem Ortodoxam in Symbolo Athanaſiano etiam expreſſam, unus omnino eſt non confuſione Subſtantiæ, ſed unitate Perſonæ.

CXIX.

Inſcite non modo veteres Neſtoriani; ſed etiam recentiores Calviniſtæ, & in primis Aubertinus audent Alexandrino Cyrillo errorem Eutychianum tribuere.

CXX.

Monophyſitarum propago fuit hæreſis Monothelitarum, qui duas in Chriſto Naturas non abnuentes, unicam tamen voluntatem & operationem

322

profitebantur. Quoniam autem Christus in Scripturis habere dicitur voluntatem a Patris voluntate distinctam, jam præter Divinam agnoscenda est in Christo etiam humana voluntas & operatio.

CXXI.

Plura Consectaria necessario fluunt ex unitate Personæ in Christo. Namque si una est Christi Persona; Beata igitur Virgo vere & proprie est Mater Dei, consequenter non solum Christotocos, sed etiam Theotocos debet appellari.

CXXII.

Item, si una est Divina Persona, perperam renuerunt Felix Urgelitanus, & Elipandus Christum etiam, qua homo est, vocare filium Dei Naturalem. Immo non modo naturalis Filius Dei appellandus est Christus etiam qua homo est; sed nulla ratione Catholice dici potest adoptivus, quod & sacra auctoritas in aperto ponit, & conceptus ipse adoptionis certo confirmat.

Digitized by Google

CXXIII.

Denique in unitate Personæ Verbi incarnati fundatur, ut eam Theologi appellant, *Idiomatum Communicatio*, idest mutua prædicatio Attributorum Dei, & Hominis, quæ ceteroquin Christo convenit non in abstracto, sed in concreto, juxta sensum ab Ecclesia receptum.

CXXIV.

Reprobamus idcirco Lutheranam Idiomatum communicationem, atque contrahendo quæstionem, ad immensitatem contra Ubiquitas, & potissimum adversus Brentium, inficiamur communicatam fuisse Humanitati Christi Immensitatem Divinam.

CXXV.

Ex hucusque disputatis de natura, de modo, de Consectariis hypostaticæ unionis descendunt proprietates quatuor omnino tam ineffabili copulationi convenientes; nempe quod sit supernaturalis, substantialis, omnium maxima, & indissolubilis.

CXXVI.

Indissolubilem affirmamus; nemo enim arbitretur tempore Mortis Christi cum Anima a Corpore separata est, Divinitatem quoque recessisse. Hinc illud celebre Damasceni, vel ejus potius Scholiastæ effatum in Scholas pervasit: *Quod semel assumpsit, numquam dimisit*.

CXXVII.

Ad complementum gravissimæ hujus disputationis reliquum est, ut de Anima, & de Corpore Christi nonnulla dicamus. Christum verum Corpus humanum habuisse adversus deliros Phantasiastas conficimus evidentissime.

CXXVIII.

Æque insanivit Apollinaris Laodicenus Episcopus, dum Christo veram Animam rationalem denegavit; merito proinde a Constantinopolitana I Œcumenica Synodo damnatus.

Digitized by Google

CXXIX.

Cum Anima Christi fuerit perfectissima, ipsam a primo conceptionis instanti intuitiva Dei visione donatam fuisse propugnamus. Etsi enim hac de re nil sit definitum, communis tamen Theologorum consensus in ea admittenda adeo conspirat, ut opposita sententia saltem tamquam temeraria traducatur.

CXXX.

Contra Gnosticos, & Valentinianos ignorantiam Christo impie tribuentes confidenter asserimus, Animam Christi ab eodem primo conceptionis instanti rerum omnium scientiam infusam habuisse.

CXXXI.

Quemadmodum intellectus, ita voluntas Christi perfectissima fuit, prædita tamen tum Gratia & Sanctitate substantiali, tum Gratia habituali, tum denique omnibus Spiritus Sancti donis, omnibusque virtutis habitibus, seclusa qualibet imperfectione; consequenter Anima Christi fuit impeccabilis.

Digitized by Google

326

LIV

DISPUTABUNTUR

IN TEMPLO S. BARTHOLOMÆI

Mense Die Hora

Carolo *Spineda* Sacræ Dogmaticæ Theologiæ P. Professore, nec non Cathedræ Moderatore.

VENETIIS,
Apud Thomam Bettinelli
SUPERIORUM PERMISSU.
M. DCC. XCIII.

5830235

Digitized by Google